



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1688

XXXVIII. In Domin, IX. Post Pent. Videns Civitatem flevit super eam. Luc.
19. Arg. Civitas deplorata.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)

herbam, ipsarum nationi noxiam, succresceret. Quod cum nequivisset illis persuadere, saltem ut herbam etiamnum teneram evellerent, urgebat. Verum & hoc consilium surda aure acceptum cum esset, hirundo periculi declinandi causa ad domos, urbesque se recepit, in ipsis nidulari exorsa. Paulo post concinnatis ex cannabi jam matura retibus, pluribusque irretitis, ac pereuntibus, aut opem exposcentibus reponere: Tempus jam non est amplius. Erat in semine hoc malum, aut in gramine præcavendum; nunc cum consummatum sit quis vos eliberare poterit.

Timeant id ipsum rationales aviculæ, quæ sæpenumero advertunt in cor-

pore, seu potius in anima ab nocturno interpollatore feri semen nequitæ; jamque in herbam malitiæ, aut consensus exerescere; invigilent illi feri, eradice ocius, priusque in castes, aut funes nauticos exerescat, quibus inceduntur, inque Tartara prorrahantur. Conentur habere non tantum judicium sanum, & rectum finis, in quem conditi, sed insuper media convenientia ad eum obtinendum, adque impedimenta amovenda eligere, conentur eadem opportunè executioni mandare, quatenus & rationes suas exactè Domino Deo suo reddant; & dignum prudentiæ, ac fidelitatis suæ stipendium referant.

Amen.

CONCIO. XXXVIII.

IN DOMINICA IX. POST PENT.

Videns civitatem flevit super eam. Luc. 19.

ARGUMENTUM

Civitas deplorata.



Iuum præsens Evangelium, calamitosissimumque Jerosolymitanæ urbis statum expendo, perplexus hæreo; an magis illi condolere cum Christo, an verò nostram deplorare debeam infelicitatem. A. Nam quemadmodum

Jerosolyma cunctarum urbium fidelium, in quibus Numen colitur, typus fuit; ita in eadem admonentur singulæ, quatenus à simili calamitate, & exitio sibi caveant. Quamvis enim proprius accesserint urbes nostrates ad cumulum criminum illius; tantò etiam viciniore future termino suppliciorum ejusdem. Paria enim vitiorum habitacula, paria merentur excidia;

dia; & quæ invicem confoderantur sceleribus eadem etiam cognata iunt in pœnis, Id autem unde colligere licet?

Partitio

Civitas in qua ordinata demonstrent

II. Bonam, malamve; laudandam, & deplorandam Civitatem Carolus V. ex triplici P. discernere consuevit, id est ex Pastore, Prætorio, Præceptore; seu ex Templo Prætorio, scholis. Ex Pastore, & templo bonos censebat oppidanis, si frequentes interessent sacris; ex Prætorio iudicabat ordinatam civitatem, si horologium bene incederet; ex scholis, si moratam, politamque juventutem cerneret. Secus vero ex templo deserto, desertam pietatem; ex horologio perperam directo, inordinatum regimen; pueros morosos ex scholis neglectis inferebat. Et eadem ex Evangelii lectione colligo fuisse, quæ Christo Assertori & Vindici nostro lachrimas exprimebant; urbiq; exitium procreabant.

PARS I.

S. I.

Templi Ierosolymitani status.

Ierosolyma subversa causa prima

III. Primum erat templum illud tantis impendiis constructum, tanta olim pietate frequentatum, tot prodigiis illustratum; jam vero in speluncam Latronum convertum. Ita enim ipse: *Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Templum locus est divinæ deputatus gloriæ, quemadmodum

Plaltes cecinit: *In templo ejus omnes dicent gloriam.* Locus est, ubi psallendum spiritu, psallendum & mente. Locus, in quo assistunt Angeli, quem devenerantur Archangeli, ubi adest præsentissimum Numen affectum irrantium, & orantium considerans. Et vos ad lucellum, prædamque latronum instar in eo circumspicitis, non nisi quæstui inhiatis, proprias animas avaritiæ laqueo jugulatis. Nec secus, atque Latrones speluncas habeant pro refugio; ita vos puros securosque putatis, si sacra adeatis, aut inibi hostiam ex rapto imoletis. *Domus mea domus orationis est &c.*

Psalm. 25.

IV. Verum scitote, vos qui latronum more vivitis in templo, latronum ritu etiam tollendos de terra. *Si quis enim templum Dei violaverit disperdet illum Deus;* hoc est diversimode perdet famam, honorem, pecuniam, filios, filias, ipsummet denique: *disperdet illum Deus.* Non potuit Numen optimum Adamum sustinere prævaricatorem in paradyso; sed indutum melote ovium exturbavit. Non enim æquum erat, ut locum obtineret sacrum; posteaquam illum, profanata lege, violasset, eratque illud delictum hoc exilio dignissimum. Et vos perfidos non eliminabit è domo suo multo sacratiore, ac diviniore, qui gravioribus longe scæteris sceleribus? *Si quis templum Dei violaverit disperdet illum Deus.*

Templi violatio puniæ

1. Cor. 3. v. 17.

Templa violantium pœna

V. Gentilis erat Heliodorus, rerumque divinarum, ac mysteriorum ignarus; & nihilominus dirissimæ flagellatus, soliusque Oniæ precibus sanitati redonatus. Passus est ipsemet culpam,

Heliodorus cur punitus

pœnamque suam coram Rege dicens: *Si quem habes hostem, aut regni tui infidiatorem, mitte illum, & flagellatum eum recipies; si tamen evaserit; eò quod in loco sit veri Dei virtus quedam. Nam ipse qui habet in cœlis habitationem, visitator, & adjutor est loci huius; & venientes ad male faciendum perculit, & perdit.* q. d. Si habes inimicum gravi dignum supplicio, mitte illum, quatenus loco illi sancto injuriam faciat, & ipse locus te vindicabit de inimico tuo. Senti ego Numinis illius manus id que gratiæ illius singulari in acceptis referre cogor, quod etiamnum legam superstes. *Venientes ad male faciendum perculit, & perdit.* Vah & perfid os, sacrilegosque, illius cognitiæ veritatis contemptores impunitos, indemn esque sinet? *Si quis templum Dei violav erit, disperdet illum Deus.*

Lib. 6. de bello iud. c. 11.

VI. Ominatur Flavius Josephus urbis, templique Jerosolymitani lamentabilem everisionem Dei permisso factam, cum propter alia flagitia, tum maxime propterea, quibus templum illud ab ipsis inquinatum, ac contaminatum. Cum lacrimis, cum admonitionibus, cum plagis nequicquam proficet, abolere maluit, quam ultra sufferre. Mavult enim Numen omnino cultum non admittere, quam videre in cultu abominationem iniquitatis. Mavult aram in haram commutare, quam cultorem, mystamque porcorum de grege tolerare. *Si quis templum Dei violarent disperdet illum Deus.*

Eapropter vaticinatio Dominus de subversione illius urbis, impietatem in templo tanquam infallibile signum

illius adduxit: *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.* Nempe adesse tempus ultionis, ac subversionis. Maxima enim dona, ut à Deo propitio in templo proveniunt; ita funestissimæ calamitates ab eodem, imprimis in loco sacro irritato, redundant.

Math. 24.

§. II.

Prætorium taxatur.

VII. Excivit item lacrimas Christo JESU Horologium, seu quod non præviderit præcaveritque Urbs illa mala sibi imminencia. Id enim clarè indicant verba Evangelii initio citata: *Quia si cognovisset & tu, & quidem in hac die tua, qua ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Jam prope ultima vertebatur hora impendentis exitii, & ipsi nec prævidebant eam nec avertere malum nitentur.

Luc. 19. 42.

VIII. Verissimum illud proverbium est: *iacula prævisa minus feriunt.* Et multo gravius afficiunt, quæ præter expectationem accidunt. Turbat repentinum vulnus, occupat improvius dolor, sensusque inhorrescit ad casus levissimos, non prius armatus prævisione impendentium. Majora semper videntur subita, negantque spatium considerandi quantula sint. Et ut subitæ mutationes lædunt corpora nostra; ita animos fatiant profundissimè. E contra jaculis corpus suffuramur perspectis, subducimusque prævisum minimum malis, vel si defugare omnino labores, aut præfigare adversa non sufficimus, cognitione illa mitigamus, co-

Iacula prævisa minus feriunt.

ea quantumvis mole sua incumbentes. Nam, quemadmodum Basiliscus cum speculo prævisus, suo disperit in toxico, ita mala alia eminus perspecta in sua funerantur origine.

IX. Erat multiplici ictus jaculo Jobus, & tamen constantem semper, inflexibilemque inter aspera frontem tenuit. Nullus casus ipsius infregit animum, securum regis gaudiis, divitiisque, opulentum possessionibus, armentisque; venerabilem filiis, occupatum procuratione substantiæ, familiæ, prolis, Æquè enim animosè adversam sortem suscepit, quam prudenter, ac timidè secundam sustinuerat.

Unde quælo tanta illi constantia? Qua chalibe pectus, ad quævis adversantia, obfirmaverat? *Ipsè loquatur: Timor, ait, quem timebam evenit mihi, & quod verebar accidit.* Quia noverat prævidere imminentem sibi tempestatem, idcirco, non expalluit ad præsentem. In ipsis ulnis sibi blandientis fortunæ, perinde ac infans à nutrice ferebatur, cum semota omni desultoriæ fortis suspicione, præstolabatur adversa quævis, adque eadem se accingedit. Quid futurum est ajebat sibi, si rerum tuarum dimidium auferat casus? Nullum enim hic æternat felicitas. Quid si armentorum partem, quod si omnia ignis cælitus immissus cum pastoribus ipsis absumeret: aut hostes repentina irruptione abducerent? Nihil enim id fieri implicat, cum aliis sæpenumero evenit. Quid si malorum cumulus charorum pignorum tato increfceret? Quid si hoc novercantis fortunæ poculum, non per haustus divisos, sed uno quasi spiritu

compellat exforbere? Quid si istam totam feriem calamitatum, non in anno, non in mense, non in hebdomade, non in die, sed hora unica concordè impetu irrueret? Quid si minore spatio quam cogitem? Quid si post tantam vastitatem sollicitudinem nanciscar pro conversatione, desertionem pro familia, improperia pro refocillatione, scabiem pro fasciis, ulcera pro amuleto, plateam pro cubili, fimetum pro lecto, canes pro medicis, vermes pro pedisequis, dæmones pro mancipiis, & terroribus? Quid si ultimum tui asylum sit, non notocomium, sed sepulchrum; nidulantibus in corpore tuo vermibus, spiritumque cum carne exedentibus? Quid si non fortuna duntaxat, sed natura iniqua evadat, & extra morem suum te etiamnum spirantem tam novercali arrodat dente; ut cum cuncta tibi defecerint, tu tibimet nequeas deficere? Quid si adhæc omnia experiere humanitatis, ac fidei naufragium in amicis, irrisiones in proximo, subsannationes in uxore propria; num propterea deturbabitur mens tua? num infringetur tanquam arundo animus tuus? Non, inquit, plus enim duco animam meam, quam pecora, plus tranquillitatem meam, quam turbam populorum, plus rationem, quam armenta, aut tormenta; plus judic esse virum quam divitem, plus sanitatem reputo animi, quam corporis, plus puritatem affectuum, quam mephytism feritotum arruum. Colligat suas fortuna copias, nova torquendi artificia adornet, experiatur summum, quod potest, depluat in me nimbo veluti effuso

*Job. unde
etiam infra
est*

Job. 3. 25.

*Temporalia
caduca*

infortunia omnia expecto, Idem potest recipere, qui contulit. Hoc secum computabat, hoc secum decernebat athleta ille fortissimus, nec situ sordebat in pace; sed victor ubivis fortunam intra præcordia blandientem jugulabat, & instar strenui ducis, belli quadam imagine se oblectantis, in ipsa fortuna contemplabatur infortunia. Et deinceps ubivis triumphabat, telaque in hostem majore cum ipsius confusione retundebat. *Timor quem timebam evenit mihi.*

X. Exadversum vero quam miserè petiit dives ille, à S. Luca signatus. Percurrite casum illius lamentabilem, & deprehendetis nullum actum fortitudinis, aut pietatis exercuisse, immo nec de Deo, nec de proximo in extremo agone cogitasse. Quid causæ? Nempe dum vivebat corpore, & animo nihil minus, quam hæc ipsa tractabat, nihil minus, quam de Deo, aut de animæ suæ salute, aut de morte imminente cogitabat; nihil magis, quam quantum frumenti, vini, olei pecuniæ haberet; quam basilicè in annos plurimos citra omnem sollicitudinem vivere posset: Cogitabat intra se dicens: *Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? Destruam horrea mea & majora faciam; & dicam anima mea. Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos requiesce, comede, bibe, epulare.* Hæ erant ipsius meditationes, hocolvebat diu, noctuque, novissimorum omnino incurius. *Habes multa bona posita in annos plurimos.* Ita sibi vanus augur occinebat, cui mors falce sua jam-

Dives cur damnatus

Luc. 12. 21.
19

jam imminebat. *Stultè hac nocte reptent à te animam tuam.* Eapropter male hic disperiit, & prebelle res suas alter firmavit, solidavitque. *Non cognovit quæ ad pacem sunt sibi.* Quisquis itaque sinistros evitare gestit casus, extremamque avertere ruïnã, is prævideat, ac præmeditetur, instantia discrimina, quatenus & malis impendentibus occurrat fortius, & offendicula cautius evitet; ne cum hoc divite, & Judæis malè peccat.

§. III.

Schola Ierosolymitana vapulant.

XI. Expressere tertiã lachrimas Christo Domino Scholæ, seu potius exiguus profectus in iis Judæorum. Non enim per suos Doctores tantum; sed per se ipsum eosdem instruere dignatus est, nec quicquam tamen proficientibus illis. Adducit hanc causam Dominus, dum lamentatur, *quod non cognoverit tempus visitationis suæ.* Visitare enim Domini est, per se, vel per suos Doctores, & ministros erudire, vel etiam torpentes discipulos, & nihil vocibus, aut beneficiorum illiciti proficientes immixtis plagis in viam justitiæ revocare. Hæc cum nec quicquam profuissent rudi populo Judaico, tanquam desperatos destituit. Præceptor qui videt se in stupido discipulo oleum, & operã perdere, trãsfert laborẽ suũ in aliũ in quo spes evidẽtiõ affulget pro-

Inspirationi divina respondendum

sectus

fectus; haud secus divina illa mens tandem deseruit perfidos Verpos, quos tamdiu incassum erudierat, & Gentilitatem assumpsit.

XII. Ad literam id illis praedicendo comminatus est Dominus per os Salomonis: *Quia vocavi, ait, & renuistis; extendi manum meam, & non eras, qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsanabo, cum vobis id, quod timebatis advenerit.* Extendebam manum meam demonstraturus viam vitae, ac salutis, & non erat, qui me audiret inculcantem; suggereram consilia, & vos exclusistis me e senatu cordis vestri, quod nulla habita legis meae, aut vocationis ratione immoderatis affectibus vestris litaretis laxius; urgebam vos stimulis, at vos cucurristis adversum me erecto collo, & pingui cervice armastis vos. Eapropter & ego in interitu vestro ridebo, & dabo vos in sibilum cunctis gentibus. Experietur virgam furoris mei, quisquis virgam decoris aspernatus fuerit, ambulabit errabundus in tenebris, cui invisum extitit lumen mentis. Decidat, induer, & arescat, qui fulcipientem sese, ac per vias planas deducentem repudiavit dexteram.

XIII. Jeremias vates originem calamitatum populi sui aut investigans, aut vaticinans; aliis omnibus omisis, uni vocationis divinae spretae imputat proterviam. *Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum, eo tempore, quo ducebat te per viam,* Notate ait tempus & causam ingruentium malorum haud aliam fuisse;

quam illam quod Dominum ducentem per vias rectas non observaveritis, quod in transversum secundum concupiscentias vestras abiveritis. Utinam id ipsum multis aliis in districto iudicii die non exprobet Dominus, vel in ipso Averni clibano insulurent Tortores: *Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum, eo tempore, quo ducebat te per viam.* Numquid non ideo tibi mensa sternitur carbonibus desolatoris? Numquid non ideo tibi calix attemperatur pice & sulphure? Numquid non eam ob rem in hac Tartarea desudas fornace, ustulaberisque in omne aevum, *quia dereliquisti Dominum Deum tuum, eo tempore, quo ducebat te per viam.* Principium omnium calamitatum tuarum hoc est, quod Deo vocanti obsecundare, docenti ac moventi aurem praeberere detrectaveris.

XIV. Eidem populo refractario positurus ob oculos Dominus mala imminuentia, destinat eos per eundem Vatem suum in Silo: *Ite ad locum meum in silo, ubi habitavit nomen meum a principio, & videte quid fecerim ei.* Disquirite cur eum miserit, & non ad Ninivitas? Cur non ad Gomorrhazos? Silo locus erat, ubi tabernaculum Dei constitutum fuerat, ubi oracula dabantur, ubi sacrificia offerebantur? verum DEUS abstulit illud Tabernaculum, tradiditque civitatem illam impiis idololatri Philistinis, qui una die, supra triginta millia hominum in ea jugularunt. Unde quae so tanta strages hujus civitatis accidit; & metuenda edicatur Jerusalem: Subdit sacer textus: *Locutus sum ad vos mane*

*Inspiratio-
num negle-
ctus noxius*

Ier. 7. v. 12.

*Prov. I. v.
14.*

Iob. 15. 26.

Ier. 2. 17.

bid. v. 13

consurgens, & loquens, & non audistis, & vocavi vos & non respondistis; Eapropter complebo furorem meum in vobis.

Gen. 19. 14.

Erant Judæi illo tempore perfimiles Sodomitis ad quos cum loqueretur Loth: Surgite, & egredimini de loco isto, quia delebit Dominus civitatem hanc, visus est eis, quasi ludens loqui. Erant fratres gemelli illorum qui sub tempus diluvii imminentis debebant in terra. qui præmoniti à Noe impendentis periculi, subsannabant tanquam delirum senem, & erant bibentes, nubentes, & nuptus tradentes, usque ad eum diem, quo venit diluvium, & tulit omnes; & idcirco quemadmodum super hos, ita super illos venit indignatio.

Matth. 24

7.

Luc. 17. 9.

27.

S. Hier. h. l.

S. Hieronymus hanc locum interpretans, id ipsum monet omnibus fidelibus esse timendum: Quidquid dicitur populo illi, intelligamus & de nobis, si similia fecerimus. q. d. si nos perinde ac Judæi vocanti Deo non responderimus, si inspirationes ejus surda aure perceperimus; si flagellis coërciti in deterius obdurati fuerimus, paribus suppliciis, fulminibusque obnoxios reddemus. Quemadmodum illi justo dei judicio proscripti, ac fulminati sunt; ita nos eadem divina Nemesis deseret, inque Tartara præcipites aget, si eorum cæcitatem ac dementiam æmulati fuerimus. Ad temporale & sempiternum exitium deduxit Judæos, quod Pastore, Prætores, Præceptores abusi sunt; nos si fortè exemerit temporalibus suppliciis, timendum ne involvat æternis.

Pars. II.

XV. Jam ponamus unguem in ulcere, & ad Pastorem, Prætores, Præceptorem nostrum nos reflectamus.

Non invenio, quod capem in Dotissimo, Vigilatissimoque Pastore; bene tamen in ovibus. Non occurrit quod taxem in templi decore; & apparatus; non parum tamen est, quod castigem in ejusdem cultu & frequentia. Erat enim ante multò major frequentia in primo sacro audiendo, quam de facto sit. Tam sancta & religiosa erat civitas ista, ut plerique censerent inauspicatam se ducturos diem, nisi eandem audito Missæ sacrificio consecrassent. Nec erant tam rari nantes in gurgite vasto sub tempus Concionis, atque in præsentis. Jam nauseant non pauci Verbum Dei, quemadmodum olim manna Israelitæ. Si qui tamen accedunt, latet me quo animo id faciant. Vereor ne querela S. Chrysostomi in multis locis cum habere queat: Multi, ait, ille ad formam mulierum aspiciendas in ecclesiam veniunt. Mirum quomodo cuncta fulmine cælesti non evertantur. Hæc enim fulminibus solum, sed etiam gehennæ supplicio sunt dignissima; verum Deus cum longanimis sit, & misericors, ut in patientiam te adducat, iram suam interea retinet. Quid facis homo? Mulierum speciem in ecclesia curiosius perscrutaris, non horrescis templum

S. Chrysost.
h. 74. in
Matt.

Dei

“Dei tanta afficiens contumelia? Pro-
 “stibulumue tibi viderur Ecclesia? Sa-
 “nè multò melius esset cœcos esse,
 “quam ita turpiter oculis abuti; ut eo
 “tempore maximè fornicatione, & ad-
 “ulterio utaris, quo tibi magna voce
 “intonatur, ab his fugias. Ô infelici-
 “tatem nostram! *Domus dei facta est*
 “*spelunca Latronum.* Hæc ille.

Vereor ne saltem Crisis, S. Ambro-

S. Ambros. ser.
 19. in Quad.

“sui in plerisque locum habeat. Sunt
 “nonnulli inter vos, ait ille, quorum
 “licet vultus in ecclesia videamus; cor
 “tamen in agris esse cognoscimus, &
 “præsentiam quidem eorum confide-
 “ramus in plebe, sed conversationem
 “eorum reperimus in rure, de terra
 “enim semper cogitant, de terra lo-
 “quuntur, quæ terrena sunt sapiunt.
 “His convenit divina illa sententia:
 “*Terra es, & in terram ibis.* Qui ideo
 “aliquando ad ecclesiam veniunt, non
 “quia ex fide Christiani sunt, sed ne
 “Christiani ab hominibus non puten-
 “tur. Ita Ambrosius. Et rectè si e-
 “nim verè crederent hic Agnum Dei
 “pro se immolari, Seraphim ad stare
 “alis suis faci em velantia, incorporeas
 “virtutes pro se cum Sacerdote interce-
 “dere, ignem Spiritualem è cœlo des-
 “cendere, sanguinem in cratere ad su-
 “am purificationem contineri, quo-
 “modo non confunderentur, compo-
 “nerenturque ad omnem modestiam!
 “Nam si coram terreno principe quid-
 “piam postulaturi, tanta cum
 “demissione, attentione, reve-
 “rentia accedunt, an cum minore
 “Regem Regum, Dominum dominan-
 “tium devenerentur?

XVI. Non invenio item quod cul-
 pem in Præatore, aut Horologio; mul-
 tum tamen in plerisque qui non obser-
 vant tempus visitationis suæ, & non
 prævident quæ ad pacem sunt sibi.
 Eheu quot invenire est, qui nec cogi-
 tant de futura vita, nec de ea sibi in
 minimo prospiciunt. Deplorat hanc
 cœcitatem apud Jeremiam Dominus
 cum ait: *Milvus in cælo cognovit tempus*
suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodi-
erunt tempus adventus sui, populus autem
meus non cognovit iudicium Domini. Ipsa
 bruta animalia naturalis sagacitate
 assequuntur, & prævident futuram,
 tempestatem, instantem brumæ tyran-
 nidem, & sibi prospiciunt, soli ho-
 mines sæpenumero tam inconsiderati,
 ut nec futura prævideant; nec præsen-
 tia expendant. Non cognoscunt, quæ
 ad pacem sibi proficiunt. Autumant
 illam futurorum imaginationem fere-
 nitati ipsorum nebulam tristitiæ indui-
 turam, & ideo nec prævidere, nec
 præscire mala futura volunt, ne præ-
 sentem pacem, voluptatemque, qua
 perfruuntur, perturbent. Sicque dum
 in præsentis vitæ hærent inlecati ille-
 cebris, clausis oculis ad mortem, & ad
 gehennam accelerant.

Jer. 8.

XVII. Non puto etiam defe-
 ctum esse in præceptore, seu instru-
 ctione; magnum autem in discipu-
 lis, quod nihil, aut parum capi-
 ant; nec cognoscant tempus
 Visitationis suæ. Non enim deest

Lex

Lex aut Sacerdos, non defunt tubæ quibus animemur, non deest lux Evangelica, qua illustremur; sed deest qui lucem admittat, qui sacerdotem, aut tubam exaudiat. Invenies quibus perinde venit Christus, quasi omnino venisset, qui nec ejus doctrina quicquam proficiunt; nec clarissima virtutum ejus exempla sibi ad imitandum proponunt, nec magnificentissima ejus præmia mente pertractant, nec sacratissimæ passionis ejus mysterium memori, & grato animo recogitant, nec immensas bonitatis, ac misericordiæ ipsius divitias, quas in hoc opere nobis ostendit, ante oculo ponunt, quatenus ejus amore accendantur ad frequentiora sacramentorum præsidia accedant, quibus à morbis animæ curentur, & in virtutis studio roborentur.

XVIII. Ne itaque & super nos lamentetur Dominus, ne & nos in ira indignationis suæ visitet, ne circumdant nos inimici nostri vallo, & coangustent nos, prosternantque non in terram duntaxat, sed in abyssum inferni præcipitent, cultum Deo, & lacris ipsius exhibeamus, & recognoscamus tempus Visitationis nostræ, quæque ad pacem nobis sunt. Recognoscamus non defuturam Dei manum vindicem, si non defuerint peccata eandem inflammantia. Recognoscamus quantas Judæi, aliæque gentes pœnas persolverint, & timeamus ne paribus, aut gravioribus plectamur. O quam sedulo sibi nunc prospicerent

alii, quibus jam immobile saxum æternitatis incubat, si vel tantillum Spiritui illis concederetur! quanta modestia, devotione frequentarent illi jam templa, quam cautè, prudenterque sibi prospicerent, quam vigilanter lumina cœlestia & admitterent, & exequerentur. Sed heu jam jacta est alea, & in omne ævum nec radius ullus visitationis divinæ illis illucescit. Nos, quibus etiamnum conceditur iisdem frui, sic easdem inspirationes, admonitionesque admittamus, ut una in iis ambulemus; malaque impendentia præcaveamus.

Quod autem in nobis deest, tu ô Christe salvator supplere digneris, tu converte corda nostra, ut conterantur; & si forte à nobis abstuleris regnum, aut bonum temporale, saltem æternum non auferas. Si peccatis nostris incendimus furorem justitiæ tuæ, tu torrentibus misericordiæ tuæ fontibus sanguinis tui, lachrymis sacratissimæ Matris extingue. Si per cœcitate nostram in præcipitia ruimus, tenebrasque exteriores; tu lumine sapientiæ tuæ ab erroribus periculisque expedias; & in viam mandatorum tuorum reducas. Si funera, aut pericula non prævidemus, tu tubum prudentiæ suffice, quo eadem perspiciamus; & ad te tandem expedi-

ti malis omnibus perveniamus. Fiat,

Fiat.